DE VERGILII
CARMINIBUS BUCOLICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPSIT

JOH. FRIDERICUS WESTPHAL

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXI.

Dicunt quicunque in antiquis litteris subtiliter versati sunt integreque judicant omnes uno consensu si quaeratur, utrum deferendus sit principatus ingeniis Graecorum an Romanorum minime dubitari posse. Extiterunt sane quidem omni tempore homines docti, in his M. Tullius Cicero qui — ut ita dicam — Romanorum patrocinium susciperent et contenderent eorum nonnullos esse dignos qui optimis Graecorum praeferantur; sed tamen viri doctissimi res inter se comparaverunt diligentius et accuratius et graviter copioseque comprobaverunt Graecis esse deferendum principatum quem antiquitus obtinuerint. Ita enim comparaverunt non solum Graecos et Romanos universos sed etiam singulos praestantissimos auctores utriusque populi, ut nemo doctus possit dubitare, quin in litteris Graeci praeponendi sint Romanis. Quod quam verum sit judicium ex hac quoque commentatione elucebit. Nobis enim propositum est ut de Vergilii carminibus bucolicis disseramus: qua in re facere non poterimus, quin cum Theocriteis carmina Vergiliana interdum comparemus. Sed antequam ad Maronis carmina bucolica venio nonnulla de hujus carminis origine videntur mihi esse dicenda.

Carmen bucolicum *ἀπὸ τῶν βουκόλων* quod pastorum genus honestissimum erat dicitur; quod unde sit ortum quaerentibus nobis varia traduntur et a diversis repetita fabulis. Consecrarunt sane poetarum fabulae nomina pastorum veteris vitae, ut Daphnim; fortassis etiam festa, quae Apollini, Dianae, Cereri, Pani aliisque diis rusticis celebrabantur, uti majorem celebritatem ita majus studium majorem artem et concinnitatem carminum fortassis etiam certantium et sibi mutuo respondentium sollertiam quae amoebaea carmina peperit attulerunt: ex quo ipso apparet cur initia Musae bucolicae ad festum fere Dianae aut Apollinis Nomii vel alius numinis

agrestis referantur. Tandem multo tempore post, fortassis etiam post multos alios qui idem tentaverint inter quos sive Stesichorus Samius, seu ut grammatici tradunt, Asclepiades filius ejus Samius cum Lycida Cydionata et Phileta (cf. Theocriti id. VII. vs. 40. sq.) extitit Theocritus, cujus carmina bucolica servata sunt. Sed antequam de hoc poeta tractaturi simus quaeramus quis sit qui carmen bucolicum invenerit. Quae Probus in commentario ad Vergilii carmina bucolica narrat pro somniis habenda sunt: confundit enim hymnum in Dianam cum carmine bucolico: de illo tradit et hujus obliviscitur cujus originem tractaturus est. Alii auctorem Diomum aliquem, alii Daphnim, alii alium faciunt. Quaecunque de hac re disputata sunt incerta videntur et inepta. Namque illi non animadvertunt aliud esse carmen pastoricium quo pastores ut nostris temporibus ita primis statim vitae humanae initiis oblectati sint, aliud quo homines ingeniosi vitae rusticae dulcedinem et jucunditatem certa arte et ratione adumbraverint. Prius illud inter antiquissimos homines quos gregibus alendis operam dedisse scimus sine dubio jam viguit, antequam in magnos coetus et civitates coirent. cf. Eichhoff: études grecques sur Virgile. — Heyne: de carmine bucolico. Itaque carmina pastoricia ad veram vitam expressa apud Hebraeos et Arabes fuerunt et regum principumque filii cum inter illos tum inter Trojanos, Phryges et Hellenas memorantur, qui greges et armenta paverunt. Neque minus potuerunt Arcades, Lacedaemonii, Siculi, uti bonis pascuis abundabant ita vitam gregum curae impendebant, invitante ipsa locorum amoenitate carmina pastoricia condere. Sed quamvis Polybius secundum antiquas leges pastorales cantus ab Arcadibus juvenibus esse cultos tradat, quamvis Vergilius Arcades solos cantare peritos esse dicat (ecl. X. 32. cf. quoque ecl. VII. 4.) tamen nemo tradidit floruisse in Arcadia cantum pastoralem. At eo frequentiores sunt fabulae de carmine pastoricio in Laconica et Sicilia. Quid autem de antiquis illis carminibus nobis innotuit? nempe nihil exstat. Quae omnino scire pos-

sumus in Theocriteis quaerenda sunt. Theocritus Syracusis natus cum in Sicilia et Magna Graecia versaretur, ubique conditionem ac vitam pastoriciam accurate observavit ejusque cantica bene cognovit et ingeniose imitatus est. In octavo idyllio introducit Daphnim, Mercurii filium, cum alio pastore pastoricio carmine certantem: ille vincit et ex eo tempore primus est inter pastores; nympham Naïdem in matrimonium ducit. Pulcherrimi juvenis amorem et obitum quem jam Stesichorus secundum carmina popularia cecinerat quemque Theocritus quantumvis alio modo referebat argumentum carminis Siculorum pastoricii fuisse Welckerus (Kleine Schriften I. über den Ursprung des Hirtenliedes) perspicue exposuit. Sed propter nymphae amorem, propter lugubrem Daphnidis mortem, propter nomen ejus in carmine redintegratum, cum summus inter pastores haberetur fieri non potuit quin pastoricii carminis inventorem eum esse homines arbitrarentur. Qui Theocritus cum videret quantam gratiam ista carmina rudia et indocta haberent quantamque si arte paullulum polirentur venustatem et suavitatem habitura essent genus hoc carminis bucolici excogitavit quod antiquam quidem indolem referret politum tamen magis et excultum numerisque ac legibus adstrictum cujusque ea natura esset ut pastoriciae vitae cujus species animo humano ipsius naturae quodam cantu jucundissima esse solet bona tranquillitatem, securitatem, innocentiam, delicias et gaudia numeris modisque adumbrando animos hominum deliniret et grata fraude delusos teneret. Cum autem duobus id potissimum modis effici possit aut narratione in qua tanquam a pictore in tabula agri greges silvae descriptae adhiberentur aut actione aliqua et secundum dramatis formam per dialogum dum colloquentes inter se sensus suos fortunam facta exponunt ac declarant, priore illo quod vix diu placere potest omisso alterum tenuit et pastoricium carmen ita condidit et descripsit ut actionem aliquam ex ista vitae simplicitate et felicitate rem gestam aut sacrum aliquod aut etiam cultum et colorem ejus vitae sed facto aliquo expres-

sum quo istorum hominum studia rationes affectus declararentur, per sermones istorum hominum inter se confabulantium ita exhiberet ut animi audientium vel legentium jucunda rerum imagine et vitae istius grata specie frui viderentur. Quae poesis istis delenimentis animos demulcere et florere non potest nisi eo tempore quo homines morum effeminatorum piget taedetque, quo luxuriae satietate defessi conditiones vitae simplicis, bona quasi paradisi amissi, tranquillitatem, innocentiam, gaudia desiderant. Itaque poeta id curare debebit ne quid subeat animos quod molestiam ac sordes istius vitae in memoriam revocet adeoque, ut ita dicam, suavissimam illam oculorum fascinationem solvat. Quo factum est, ut pastoricia potius quam omnino rustica vita aut aratorum et opus rusticum facientium in hoc carmine exhiberetur, cum haec quidem paulo plus offensionis haberet nec facile ea laborum taedio et attriti corporis defatigatione omninoque aerumnis suis poetae arte et ingenio liberari posset. Quae omnia a Theocrito subtilissime et ingeniosissime observata sunt. Quem praestantissimum solum fere Graecorum poetam bucolicum quo nemo subtilior, nemo luculentior unquam fuit vel erit, Vergilius poeta Romanus imitatus est.

Nobis propositum est ut de Vergilii carminibus bucolicis explicemus; commentationem nostram in duo capita dividere placet, quorum priore de argumento carminum a Marone conditorum, posteriore de forma disseremus.

Concedendum est poetis si interdum similitudines ex aliis poetis sumpserunt, quia forsan in rerum natura non aptiores res inveniebant, quas similitudinis causa usurpare possent. At ceteris in rebus poetae omnesque scriptores plerumque alios ita imitati reperiuntur, ut imitatio vix sentiatur. Saepe viri docti credunt aliquem priscorum hoc vel illud ex alio sumpsisse, quia uterque eandem rem commemorat vel eam fere eadem ratione tractat iisdemve fere verbis interdum exprimit: cum tamen aeque credibile sit utrumque in istam rem, in istam sententiam, in istam ver-

borum formam sponte incidisse et ipsum illam invenisse. Nam cur duo homines eadem sententia non sponte utantur atque iisdem fere verbis eloquantur? Quis mentem hominum tam parum novit ut sibi persuadeat unam sententiam non nisi ab uno inveniri et cogitari posse? Alteri imitationem alterius objicere est res valde lubrica et incerta, nisi sententia tam singularis et uni ita familiaris ac propria est ut eam vix alii in mentem venire potuisse credibile sit. Sunt quoque saepe in populo aliquo sententiae ac proverbia quae unde orta, a quo inventa sint nemo scit. Jam si forte accidat ut talis sententia vel proverbium in libris duorum scriptorum occurrat an statim dicamus alterum ab altero sumpsisse? Valde hic erret qui contendat temporis habendam esse rationem et qui serius vixerit et scripserit, ex eo qui prius scripserit hausisse. Non igitur prudenter agunt qui si quid in Vergilio reperiunt quod in alio scriptore aetatis superioris vel latino vel graeco occurrit statim exclamant: hoc sumptum est ab Homero, ab Aeschylo, ab Apollonio, ab Ennio etc. At Maronem praeter poetam Siculum alios quoque imitatum esse, ab aliis vel id vel illud sumpsisse inter omnes constat.

Si respicis internam operum Vergilianorum rationem et naturam primum commemorandum est poetam ut omnes poetas Latinos carmina sua non solum si argumentum sed etiam si formam spectamus ad Graecorum exempla composuisse neque hoc contentum magnam etiam sententiarum partem ex iis petiisse adeoque integros eorum versus in Latinum sermonem transtulisse (cf. Ursinus Vergil. collat. scriptor. Graecor. illustr. Leov. 1747. ed. Eichhoff, Forbiger etc.) quod eo minus mirandum est cum vel Latinorum poetarum Ennii, Naevii, Accii, Pacuvii, Lucilii, Lucretii adeoque aequalium Lucii Varii, Cornelii Galli aliorumque totos in suam rem convertere non dubitaverit. In qua tamen Graecorum imitatione negari nequit tam laudabiliter et prudenter eum versatum esse ut Graecos neutiquam caeco et servili modo sequeretur, sed primus inter

Romanorum poetas liberiorem et elegantioribus litteris digniorem Graecos imitandi usum induceret, cum non solum omnia ad Romanorum sentiendi et cogitandi rationem conformaret et Graeco argumento Romanos mores et instituta ubique immisceret, sed etiam in ratione ad Graecorum exempla formanda Romanae linguae ingenium sapienter servaret et Graecorum simplici elegantiae Romanorum magniloquentiam et majestatem adderet (cf. Gell. IX. 9.), ut carmina ejus magis fere quam ceterorum latinorum poemata vere Romana et archetypa esse videantur, ita omnibus poetis Romanis exemplum et normam orationis poeticae exhibuit quam quo studiosius et fidelius posteriores sequebantur eo perfectiores habebantur poetae. In bucolicis autem Theocritum — ut supra jam diximus — potissimum secutus est. Nam quae in iis fere bucolici generis sunt argumenta, ea fere omnia sunt ex Theocriti carminibus translata. Sed indolem et naturam Theocriteorum carminum plane immutavit et bene perspiciens imaginem illam vitae pastoriciae ad veritatem pictam nativamque illam pastorum Theocriteorum simplicitatem, qui nihil aliud esse volunt nisi simplices pastores de vitae rusticanae amoenitatibus confabulantes et legentium animos jucunda rerum rusticarum imagine delectaturi, Romanis suis vitae rusticae minus faventibus et in omnibus rebus elegantiam quandam cum fastu sectantibus non admodum placituram esse a natura carminis pastoricii tantopere deflexit, ut converteret in sua tempora quae ab iis erant aliena et a pastorum carmine in plerisque argumentis recedens ad alia genera deflecteret, ad quae bucolicum carmen erat proclive (vid. Spohn: Prolegg. ad carm. buc. Verg.), ut personatos modo induceret pastores de rebus publicis vel de privata auctoris vita quatenus ab illis afficitur erudite et eleganter colloquentes, ut multas res a vita pastoricia plane alienas et ad rerum civilium peritos pertinentes immisceret, denique poesin bucolicam epicae magis admoveret. Quare si veram carminis bucolici naturam respicimus Vergilii Eclogae Theocriteis idylliis longe postponendae sunt. Te-

mere Scaliger Poet. V. 5. et Meusel, dissert. de Theocrit. et Vergil. poet. buc. eos vituperant qui Theocritum Vergilio praeferant. Ipse valde vituperatus sum ab illustr. Huebnero, quod contendi Maronem suspicatum non esse poetam bucolicum veram naturae simplicitatem depingere necesse esse. At oblitus non sum, haud nescio prima hujus generis carmina fuisse quae Romanis afferebantur, carmina ejus magis fere quam ceterorum poemata vere Romana et archetypa esse videri (cf. p. 8.). Singularis ille quo excepta sunt plausus cum ex sola rei novitate tum ex illa ipsa rerum suo tempore gestarum tractatione quam admiscuit Vergilius, repetendus esse videtur, quamquam sane erat cur per se spectata neque cum Graecis comparata arte sua et orationis splendore et elegantia, Romanis maxime commendarentur et mirum quantum placerent. vid. Horat. Sat. I. 10, 40.:

„Vergilio annuerunt gaudentes rure Camenae.“

cf. quoque Ovid. Am. I. 15, 25. Tacit. Dial. 13, Quintil. X. 1, 55. Verissime enim Probus Theocritum poetam facilius ait Bucolica scripsisse quia apud Graecos sermo rusticanus a civili dividi possit; ideo Latinis difficile fuisse, quia necesse sit per eadem verba accommodare sensus. Accedit vero ad poetam excusandum, quod praeter temporum conditionem et Romanorum ingenium ipse quoque sermo latinus minus aptus erat ad indolem et naturam carminum Theocriteorum sive vere bucolicorum imitatione exprimendam, qui poetam coegit multa ex vita pastoricia omittere et seponere aut verborum ornatu celare quae nude et simpliciter ad rei veritatem proposita superbas Romanorum aures nimis offendissent.

Maronem mutavisse et flexisse ita carmen bucolicum ut converteret in sua tempora quae ab iis erant aliena et ad alia genera deflexisse ad quae bucolicum carmen erat proclive supra diximus. Quod quare fecerit poeta Romanus paucis verbis exponere conabimur.

P. Vergilius Maro idibus Octobr. anni LXXI. a. Chr.

n. Andibus natus est (cf. Donat.). Parentes habuit honestos quidem et satis nummatos, sed obscuros et villaticos qui praedii quod Andibus habebant, reditibus vivebant et nullis sumptibus parcentes filium liberaliter educandum curabant. Usque ad annum XII. Vergilius Cremonae vixit; hoc autem anno Mediolanum et Mediolano paulo post Neapolim se contulit, ut liberaliore institutione frueretur; ibique a Parthenio grammatico in Graecis potissimum litteris eruditus est. Octo circiter annos Neapoli versatus Romam migravit, ubi a Syrone philosophiam edoctus est. Duobus annis post in praedium Andinum reversus est. Sed cum propter minus prosperam valetudinem rempublicam capessere non posset et ingeni benignam venam sibi a Musis natam placidis luminibus videntibus datam esse in dies luculentius cognovisset, ut laetius illa flueret diligentissime animum ad poesin Graecam applicuit totumque se ad Graecorum elegantiam composuit et incubuit potissimum ad carmina Theocriti bucolica legenda, quae Asinio Pollioni quem Antonius Galliae Transpadanae praefecerat, maxime placebant. In Pollionis familiaritatem a. XLIII. exeunte venisse videtur (cf. ecl. VIII.). Causa autem hujus amicitiae erat unum idemque litterarum et poesis studium quod doctos homines in domo Pollionis frequenter congregabat, qui ipse auctor extitit inprimis tragoediarum quae Vergilio Sophocleo cothurno dignae videbantur:

„En erit ut liceat totum mihi ferre per orbem
sola Sophocleo tua carmina digna cothurno“

ecl. VIII. 9.

cf. quoque ecl. III. 88.

„At dura eum emovere loco tempora grato.“

Ab anno XLIII. usque ad annum XXXVIII. inter medios tumultus bellicos a M. Antonio, C. Caesare Octaviano et M. Lepido motos quibus tota Italia inprimisque Gallia Cisalpina misere vexabatur, partim Andibus partim Romae conscripsit eclogas. (de ordine cf. Voss anno 712: II., III., V., a. 713: I., a. 714: IX., IV., a. 715: VI., VIII., a. 716:

VII., a. 717. ecl. X.) Quibus temporibus neque se neque praedium suum defendere potuit a veteranis. Namque cum in his carminibus pangendis occupatus esset Maro, accidit turpis illa et invidiae plena agrorum Italiae incolis ereptorum divisio a triumviris jam nonnullis annis ante promissa, quae Vergilium quoque agro suo ad breve tempus privavit. Namque vere anni XLIII. Octavianus turbam veteranorum misit in Galliam Transpadanam ad Cremonae urbis agros occupandos (vid. Servium ad ecl. IX.); qui quum militibus non sufficerent illi pro arbitrio suo etiam vicinos Mantuae et Andium agros invaserunt et sic etiam Vergilii praedium Claudio cuidam assignabatur. Sed poeta statim Romam profectus ab Octaviano impetravit, ut ager sibi restitueretur (vid. ecl. I. 45. IX. 7.): illo tempore principem primam poetae notitiam contraxisse verisimile est. Quod quidem beneficium hic ecl. I. celebrat. Sed non diu mansit haec laeta rerum conditio. Nam bello Perusino confecto Octavianus cujus gratia exciderat Pollio, M. Antonii amicus Alfenum Varum Galliae Cisalpinae praefecit qui agris dividendis praeesset (cf. Servium ad ecl. VI.). Novo timore captus Varum precibus adiit, ut agros Mantuanos incolumes manere juberet seque pro hoc beneficio facta ejus carmine epico celebraturum esse promisit (vid. ecl. IX. 7.). Nihilominus Varus non impedivit, quominus Antonius magnam agri Mantuanorum partem militibus adscriberet (cf. Serv. ad ecl. IX.). Ita Arrius quidam centurio etiam Vergilii agrum occupavit eumque qui ipsius Octaviani promissis fretus possessionibus cedere recusaret paene interfecit (vid. ed. Voss. ad ecl. IX.); poeta igitur servos suos ut novo domino interim parerent exhortatus (vid. ecl. IX. 6.) Romam aufugit, ubi in villa Syronis latuit et conscripsit ecl. IX., in qua agrum Octaviani injussu sibi ereptum conqueritur et illum adulando ad ejus sibi restituendi consilium compellere studet et vero hoc carmine effecit, ut ager sibi auctumno ejusdem redderetur. Vergilius autem et Pollioni et Octaviano pro agro recepto gratias acturus et reipublicae felicitatem et

tranquillitatem pace Brundisina restitutam celebraturus auctumno ejusdem anni eclogam quartam conscripsit, in qua occasionem arripit aereae actatis reditum vaticinandi.

Quibus ex dictis apparere credo poetam id egisse ut gratias potentium virorum qui ipsum tuerentur non solum acquireret verum etiam retineret. Quorum gratiam in eclogis se sibi conciliaturum esse sperabat. Adscribit igitur pastoribus suis quae ad ipsum solum aut alium quempiam referri debent; rusticos vero totamque eorum vitam ejusque ingenium et indolem non ad naturam apte adumbravit, adumbrare nesciebat — sed obversabatur animo artis quaedam perfecta species ad cujus similitudinem exprimendam sensu totamque orationem convertit (cf. Forbiger. Wagner.). — Quibus expositis primum ut erat propositum de carminum bucolicorum argumento dicatur. —

Carminis pastoricii argumentum ad silvas, agros, pascua, prata spectare, situs regionis temporis amoenitate commendari et locus facti sive dramatis ita declarari debet, ut res dum legimus non tam narrari quam agi ac lectoris oculis subjici et ille inter silvas errare, in umbra arboris assidere, certantes audire sibi videatur. Aliud haud negligenda ratio est illa, qua praecipitur, ut quidquid felicitatis vitae pastorali insit ad pastoricii carminis suavitatem arcessatur, ut quidquid ad amplificandam et exornandam istam veram jucunditatem animi vis excogitare ac fingere possit ad majorem suavitatem liberaliter congeratur.

Quaecunque enim animum delectare possunt arcessentur a poeta. Sed non in omni genere omnia placent. Errant enim qui credunt satis esse ad carmen pastoricium, dummodo res e vita ac conditione rustica depromantur. Qui sic judicant Vergilium praestantissimum poetam bucolicum esse sine dubio contendent. At in nostro genere ea sunt tantum admittenda quae istam otiosam liberam securam vitam exhibere et sensibus nostris subjicere possunt. Quid igitur poeta in tractando argumento pastoricio curare debet? Id maxime curabit ut partim pastorum suae gentis vitam conditionem

malis quibuscunque laborat cogitatione liberet, bona autem omnia majora efficiat et ita exornet, ut vitam felicitate cumulatissimam adumbret, partim ad fabulas de antiquissimorum hominum vita et aurea aetate nec non ad narrationes de majorum aliorumque vitam pastoriciam agentium moribus et institutis confugiat et huic suo argumento colores petat. Quae omnia a Theocrito subtiliter et ingeniose observata invenimus. Sed quid de Vergilio judicandum est?

Vergilii et Theocriti carmina bucolica diversi generis sunt. Namque Maro novum genus constituit in eo ut non tam notiones et species ex aurea aetate repeteret, quam ipsam auream aetatem repraesentaret, homines Deos et heroes qui tum vixissent exhiberet iisque sententias ac mores congruos tribueret. Cujus generis sunt eclogae quarta et sexta. Quo factum est ut epico carmini propius admoveret bucolicum cum ex prisca heroum vita sensus ac sententias inferre liceret. Aliud porro carminis pastoricii modo tantum variato genus est hoc ut ad majorem animorum voluptatem res aut facta nostrorum hominum coloribus a vita pastoricia petitis ornemus, in fabulam inter pastores gestam commutemus aut rem in antiquissimorum temporum simplicitate agi aut evenire fingamus, cujus generis reliquae fere Vergilii sunt eclogae. Quid enim? Nonne prima et nona poetae casum et Mantuanorum fortunam enarrant? Nonne decima Galli potentis et illustris viri amores sub pastorali fabula exponit? Ecloga secunda amoris miseri aestus sententiis ac notionibus pastoralibus exprimit. Innocentiae autem et simplicitatis nihil inest. Quinta denique septima et octava haud dubie quodammodo etiam tertia ecloga ad bucolicum genus ut supra explicatum est referri poterit.

Pastores Theocritei partim servi sunt (vid. id V.), partim domini gregum habendi sunt (cf. id. IX. etc.). Sed in Italia villici et quicunque in agris erant non facile alia nisi servili conditione aut libertini fuisse videntur. Qui homines si „peculium“ sibi satis magnum paraverant (de peculio vid. Mandry „über Begriff und Wesen des Peculium.“ Festschrift

zu v. Wächter's 50jährigem Jubiläum. Tübingen 1869.) pretio dominis soluto se vindicare poterant cf. Tacit. Ann. l. XIV. c. 42. vid. quoque ecl. I. Quibus servis quorum Romani tantum numerum in fundis suis habebant et agris sive agrorum sive pecudum cura mandata erat. Fidelibus sibi caris et acceptis domini conjungebant servas contubernales quibuscum viverent quasque pro uxoribus haberent (cf. ecl. VIII. 15.). Itaque quod humiles habitant casas non miraberis (vid. ecl. II. 29), cum Theocriti qui otiosam et liberam vitam agunt specubus pro sede ac domicilio utantur (cf. idd. IX. 9, 15. XI. 42. etc. ed. Ahrens.). Theocriti quidem pastores pro vestimento pellibus usos esse (cf. id. III. 24; V. 15; VII. 15. etc.) legimus; at ea Maro in eclogis imitari noluit. Victum si spectamus ab utroque poeta ea proferuntur quae rus ipsum aut greges suppeditant: praeterea Theocriteos pastores glandes pro cibo usurpasse apparere credo ex id. IX. 19. Poeta Romanus autem his repudiatis in eo tamen Siculum aemulatus est quod Romanorum spectans mores moreti (ecl. II. 10.) meminit: contra vero id. VII. vs. 64, ubi praestantissimum vinum commemoratur ante oculos habuit in ecl. V. vs. 69. Vergiliani pastores venationem exercent, colunt etiam agros, hortos, vineta (vid. ecl. II. 29; III. 12.) apesque nutriunt (vid. ecl. I. 72; V. 36.); vitium culturam etiam Theocriti pastores quamvis ex id. V. vss. 108. sqq.

„*Ἀκρίδες, αἳ τὸν φραγμὸν ὑπερπαδῆτε τὸν ἀμόν,*
μή μευ λωβασεῖσθε τὰς ἀμπέλος; ἐντὶ γὰρ ἆβαι."

colligere possis exercuisse nego: sunt enim illa verba metaphorice intelligenda. Temporis fallendi causa pastores vasa rustica texunt (vid id. XI. 70. ecl. II. 71; X. 71.).

Colloquia et carmina pastorum Theocriti sunt popularia. Jam satis inter omnes constat Siculos inprimis dicaces fuisse, veluti Cicero: „nunquam, inquit, tam male est Siculis quin aliquid facete et commode dicant." Unde explicationem habent multa illa dicta et cavillationes quae per idyll. IV., V. et VI. dispersae leguntur; unde quoque fluunt

sententiae et proverbia, unde superstitionum varia genera, unde imagines maximam partem e vita rustica depromptae; unde comparationes et rerum naturae descriptiones (vid. Gebauer de poet. graec. buc.) in quibus poeta eorum semper ratione habita quos loquentes introducit admirabili quadam cum arte ita versatur ut tantum data occasione proferat, modo cum mutuis pastorum laudibus, modo cum dissensionibus de canendi sede coortis, modo qualicunque pastorum conditione connectens; alia eaque eximia Theocriti facultas quae in depingenda naturae tranquillitate conspicitur ex id. VII. et XX. vs. 37. sqq. elucet. —

Ex verss. 385. sqq. lib. II. Georg.:

„Nec non Ausonii Troja gens missa coloni
Versibus incomptis ludunt risuque soluto
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu."

Romanorum quoque agricolas ad risum quendam solutum, ad hilaritatem et licentiam proclives fuisse perspicimus. Utrum Romani illo tempore Graecorum flagitiis imbuti fuerint, an Maro (cf. ecl. III.) in dicteriis et notionibus Theocritum imitando simul morem patrium respexerit in medio relinquimus. Sed in afferendis sententiis ac proverbiis quae etiam in ore Romanorum fuisse cum per se credibile sit tum traditum est ubique fere Siculi simplicitatem retinuit. (cf. ecl. VII. vs. 45. c. Theocr. id. V. 50; ecl. III. 102. c. id. IV. 16; epigr. XII. 5. et id. II. 88; ecl. VII. 43. c. id. XII. 2.) Item spectavit Theocritum in ecl. VIII. 63. quamvis alii a Lucilio hunc locum esse depromptum contendant. Ex aliis Graecis sunt duo proverbia quae legimus in ecl. III. 91. deprompta:

„atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos."

vid. Suid. I. p. 125:

„ἀλώπηξ τὸν βοῦν ἐλαύνει"

et Lucian. vit. Dem. §. 28:

„οὐ δοκεῖ ὑμῖν, ὦ φίλοι, ὁ μὲν ἕτερος τούτων τράγον ἀμέλγειν, ὁ δὲ αὐτῷ κόσκινον ὑποτιθέναι;"

Vergilii propriae sunt eae sententiae quas habemus in ecl. II. 59, 65, 70; X. 59. Superstitiones a poeta nostro e vita rustica omnes esse sumptas (vid. ecl. I. 16; III. 103; VII. 28; VIII.; IX. 5. 15.) mea quidem sententia est; eundemque in ecl. IX. 54. Theocr. id. XIV. 22. imitatum esse nego; at comparationes et imagines in eclogis plurimas esse Theocriteas affirmare audemus; ipsius ingenio tribuendae sunt quas reperimus in ecl. I. 22. 83; III. 82; VII. 41, 61; X. 29; VIII. 85. Maximam vero laudem Maro ex locorum descriptionibus adeptus, in iis prospere auctorem aemulatus est. Quod quam verum sit maxime elucebit ex his locis qui ad poetae praedium pertinent. vid. ecl. I. 47; II. 3, 8; III. 37, 45. sq.; V. 5; VII. 49. sq.; X. 40. sq. et Mosch. III. 6. Theocr. id. XI. 16; V. 104; I. 30; XI. 41. sq.; XI. 49. sq.; VII. 142. sq.

At nunc ad ipsa cantica jam propius descendamus. Pastores quorum vitam moresque Theocritus descripsit non solum dulci syringis flatu et peculiari canticorum genere celebratissima Daphnidis Menalcae Comatae nomina celebrasse et poetam Siculum poesi populari innisum esse supra commemoravimus. Cujus poesis popularis versus habemus in id. I. 106; V. 45; X. 42. continentes illam cantilenam aut ex Sosithei Λιτυερσῃ aut e cantilenae theristarum popularis imitatione compositam; in id. VII. 77. sq., qui de Comata apibus nutrito exponant et in idd. VIII. et IX. Quomodo Theocritus cantus popularis modum ac rationem accurate expressit, ita Vergilius quoque cantilenas populares protulit. Unum rei idque manifestum exemplum praebuit ecl. VIII. 80. neque recessisse poetam a rusticorum usu in carminibus amoebaeis neque cavillationes (ecl. III. 90; VII. 25.) a rustica Romanorum licentia alienas esse; duo illa aenigmata (in ecl. III. 104.) prolata populare quiddam continere, [illegible] scientiam a Vergilio non affictam pastoribus Romanis esse, sed re vera iis fuisse persuasum

habeo. Mos pastorum Theocriti inter pascendum carmina elaborandi significatur in id. VII. 50:

„κἠγὼ μέν, ὅρη φίλος, εἴ τοι ἀρέσκει
τοῦθ' ὅτι πρᾶν ἐν ὄρει τὸ μελύδριον ἐξεπόνασα."

Idem invenitur apud Vergilium in ecl. I. 10, 75. indicaturque etiam formula, si quid habes — vid. ecl. III. 52; V. 10; V. 86; IX. 32. —

Sub arboris umbra (cf. ecl. I. c. id. XII. 8.) aut in antro aut alio in loco qui describitur a pastoribus, amores dulces (vid. ecl. III. 64. id. IV. 5; ecl. VII. 37. et id. VI.) aut amaros (cf. ecl. II. c. id. XI.; ecl. VIII. 41. c. Mosch. id. II. 74; cf. quoque Callim. Del. 203.) canunt. Qui non amantur interrogant quare despiciantur (cf. ecl. II. 20. sq. c. id. XI. 34. sq. ecl. II. 25 sq. c. id. XI.); munera offerunt puellis quas in deliciis habent (cf. ecl. II. 35. seq. c. id. XI. 40.). Interdum pastor ab altero petit, ut pro munere quodam carmen notum celebratum canat cf. ecl. V. c. id. I.; sed ne alterius cantus importune turbetur, interdum ejus gregem pascit

„Incipe; pascentes servabit Tityrus haedos."

τὰς δ' αἶγας ἐγὼν ἐν τῷδε νομευσῶ (vid. ecl. V. 12. et id. I. 14.).

Et in ecl. IX. 64. Lycidas quo commodius Moeris inter eundum canat ad haedos ejus portandos paratum se esse profitetur. In id. VIII. 27. sq. canis donec pastor absit ut inter Daphnim et Menalcam litem componat gregem servat. Namque ita intelligendos esse versus

„τῆνόν πως ἐνταῦθα τὸν αἰπόλον ἢν καλέσωμες,
ᾧ ποτὶ ταῖς ἐρίφοις ὁ κύων ὁ φαλαρὸς ὑλακτεῖ."

censeo.

Si duo pastores conveniunt carmen amoebaeum canere solent: posito pretio poculo aut pedo aut agna aut capella aut vitulo vel pastor vicinus vel quicunque invenitur qui dijudicet vocatur (cf. ecl. III. 50. c. id. VIII. 25.) certamen ab arbitro non dijudicatur in ecloga tertia; ita quoque in id. VI. cf. Gebauer l. l. —

Gaudia sua et dolores cum pecoribus et natura communicant pastores, invenimus enim apud Theocritum pastorum cum pecoribus id commercium, ut non solum ea summo se amore amplecti profiteantur (vid. id. IV. 39.) aut amice adhortentur (vid. id. I. 139; V. 145; VIII. 49.) aut cum iis laetentur (vid. id. V. 141. sq.), verum etiam haud rarissime iracundia incensi illa gravius admoneant verbera adeo minitantes (vid. id. IV. 46. sq.) ubique vero aptissimo sermonis genere utantur. Quodammodo veluti sui generis essent pecora familiariter allocuti sunt et ut internoscerent nominibus a coloribus plerumque ductis nominaverunt. Nomina quae apud Theocritum legimus haec fere sunt:

„*Κισσαίθα* (id. I. 138.), *Κνάκων* (III. 5.), *Λέπαργος* (IV. 45.), *Κιναίθα*, *Κώναρος*, *Φάλαρος* (V. 102. 103), *Λάμπουρος* (VIII. 68.) — *Μᾶλος* (epigr. I. 5.). Vide amabilem Laconis servuli simplicitatem, qui in id. V. 102. caprae cum marito paulo petulantius subsultanti arietis alibi pascentis modestiam commendat his verbis:

„*Οὐκ ἀπὸ τᾶς δρυὸς οὗτος ὁ Κώναρος ἅτε Κιναίθα;*
τουτεῖ βοσκησεῖσθε ποτ' ἀντολάς, ὡς ὁ Φάλαρος."

Hic Theocriteus *Φάλαρος* aries fuit non canis, ut alii intelligunt, idem nomen et pecoribus et canibus dari omnibus fere notum est. Namque nostra voce „Schimmel" et equum et vaccam et canem significamus.

Vergilius contra, quamvis et ipse pastores inducat, qui cum gregibus aut amice colloquantur eosque adhortentur aut commoneant acerbius, (vid. ecl. I. 75; III. 49; VII. 44; X. 77.) tamen in familiaritatis caritatisque sensu depingendo felicius quam in objurgando Theocritum secutus est. Animalibus nomina fuisse in eclogis non legimus; quae consuetudo perurbano poetae fortasse ignota fuit. Omnino quamvis nonnulla ingeniose, plurima tamen artificiose imitatus est: poetam bucolicum veram naturae simplicitatem depingere necesse est. At Maronis pastores sunt nobiles perurbani maxime culti Romani. Veri Siculi aut Arcades simplices (cf. ecl. II., VIII., VII., X.) nusquam inveni-

untur. Una res fortasse propria fuit Vergilii pastoribus, quod quae carmina meditati sunt arboris cortici incidunt (vid. ecl. V. 13. sq.; X. 53.); qui mos num Theocrito notus non fuerit dubito. cf. id. XVIII. 48.

Denique pauca de utriusque poetae pastoribus personatis exponamus. Initium capiamus a Theocriteis. Aegonem et senem id. IV., Bombycam X., Cyniscam XIV. veros homines fuisse viri docti demonstraverunt. In id. VII. Theocritus appellatur Simichidas, in id. III. caprarius, ejusque amica sub Amaryllidis nomine latet; in id. IV. Aegon olim poetae rivalis et Battus castigantur. In id. VII. veris nominibus Aratus cum Philino, praeceptores Philetas et Asclepiades, fratres Phrasidamus et Antigenes, Lycidas cum Ageanacte producuntur, incertum veris an fictis nominibus Eucritus, Amyntas, Aristis et Lycidas; ficto nomine Tityrus. Cum aperte laudentur Philetas et Asclepiades, tecte castigatur verss. 45. seqq. vir doctissimus quicunque intelligendus est. In duobus locis poeta ipse ambiguitatem est molitus; namque vox *Ἐριθακὶς* (in id. III. 34.) casu felici quodam puellae nomen et operam significat. In id. VII. vs. 124. scribendum quidem est *μολών*, intelligendus tamen est *Μόλων*, qui Arati rivalis nominatur. At ubique poeta curavit ut pastorum reliquorumque hominum indoli et moribus describendis non deesset.

Vergilii poesi bucolicae allegoriae nomen tribui potest (vid. Bernhardy Litt.-Gesch.). Duo genera allegoriae probe discernuntur, quorum alterum a Theocrito accepit, alterum necessitate coactus ipse finxit. Theocritum aemulatus in ecloga secunda sub Corydonis nomine se ipsum, sub Alexidis Alexandrum puerum a se amatum, sub Jollae Pollionem inducit cf. id. III., VII. De poetae amoribus vid. Donat. vit. Verg. Phyllidem Pollionis servam esse, quae a Donato Sevia vocatur, quaeque appellatur ab aliis Amaryllis, haud negaverim. cf. quoque ecl. III. vss. 84, 107; VII. 5, 7. Sed de aliorum laudibus haec fere proferri possunt. Pollio (ecl. III.), Gallus (ecl. VI.), Varus et Cinna (ecl. X.) aperte

laudantur; utrum Codrus Graecus ejus aetatis poeta bucolicus, an fictum pastoris nomen sit, incertum nobis videtur.

Bavius et Maevius (ecl. III. 90.) novo generi poesis adversarii, aperte castigantur; tectius Cornificius sub Amyntae nomine (ecl. II. 39; V. 8. sq.) et Caelius (ecl. III. 105) et Anser (ecl. IX. 36.). vid. Serv. ad Verg. carm. buc. — Quae in ecloga secunda leguntur prorsus iis similia sunt quae de Aegone, Bombyca, Cynisca apud Theocritum exhibentur. cf. ecl. VI. 64. seqq. et X. c. idd. VII. 11. sq. et 91; ecl. III. 105, IX. 36; c. III. 34. et VII. 124. Novi Musae bucolicae generis, quod vitae conditione coactus Maro condidit, sunt eclogae I., IV., V., IX. ut se Menalcae (ecl. V., IX.) et Tityri nomine (ecl. I.) significaret, permotus fortasse erat id. VII. auctoris et XIV.; sed Asinii Galli (ecl. VI.) et Caesaris laudes (ecl. V.) a Theocriti Musa prorsus alienae sunt.

Appendicis loco nonnulla de eclogis prima, quarta et sexta addamus.

Eclogae prima, quarta, sexta, quantum a carminis pastoricii natura absint, ex iis quae de hoc carmine supra exposuimus facile apparebit. Attamen eas non praeteribimus. Jam a prima initium capiamus. Sunt multa in hoc carmine in quibus subtilius poetae judicium desideres. Primum ipsum hoc argumenti genus, quod etsi pro mera allegoria haberi nequit, quodammodo tamen ad allegoriam accedit adeoque in perpetuo rerum ac verborum lusu versatur, vix satis magnam gravitatem et dignitatem unquam habere poterit. Nec in eo potuit vitae rusticae propria vis ac ratio recte servari. Vix e persona pastoris apotheosis illa heri satis placebit. Comparatio seu allegoria non ubique commode procedit. Sic in vs. 27:

Libertas, quae sera tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat; etc.

et in vs. 45:

Pascite ut ante boves, pueri; etc.

In sententiis autem ac verbis plurima sunt ab hoc rerum et hominum genere aliena. Ita plures versus sunt fere epici. Huc pertinent verss. VII. 64, ubi praepositio „*in*“ elisa est; quod in epico carmine melius fieret Homerico more; 65. sqq. qui versus alieni sunt a pastoricii carminis indole: quomodo enim pastores agro Mantuano ejecti armenta sua agentes per Africam et Scythiam errare, aut Britanniam et Cretam insulas adire poterant? desiderium Tityri absentis quamvis bene exprimat, tamen male subjicit in vs. 39:

„ipsae te, Tityre, pinus,
ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.“

Etsi bucolici carminis tota figura est (vid. Theocr. id. IV. 12.), ab hoc tamen loco prorsus aliena judicanda est. Quorsum nunc hoc, cum de Amaryllidis desiderio agebatur? Quae valde delectant continentur versibus 16. sq., 20. sq. 51. locus tenerrimi affectus plenissimus in paucis suavis ac jucundus. Versus undecimi verba: „non equidem invideo“ ad verbum translata sunt ex Mosch. id. III. 109. set transeamus ad eclogam quartam. Nullo tempore vaticiniorum insanius fuit studium quam sub extrema reipublicae Romanae tempora primosque imperatores. Descriptiones autem novae felicitatis, quascunque in hoc genere habemus sive in Orientis, sive in Graecis et Latinis poetis, omnes fere inter se similes sunt. Quae de aetate aurea ab Hesiodo commemorantur, Vergilius ad ea tempora, quibus temporibus hanc eclogam conscripsit transtulisse videri debet. cf. vss. 38. seqq. c. Hesiod. op. 236. sqq. et Arat. Phaen. 110. Quodammodo Saturnia regna poeta Romanus laudat, ita Graeci auream aetatem *ἐπὶ Κρόνου* memorant cf. vs. 6. sq. cum Hesiod. op. 109. Quod (vs. 30.) flores sponte nascuntur ductum est ex iis quae de deorum praesentia passim narrantur: tellurem sub eorum gressu et obtutu virescere et florescere cf. Hom. Il. Ξ 347. sqq. Sed pueri natales celebrat, quasi cum iis aurea aetas initium habitura sit. Quis autem ille puer fuerit, quem Vergilius nascentem commemorat, alii aliter

interpretati sunt. Eichhoffius Marcelli, alii Augusti, alii Pollionis filium, alii Christum esse intelligendum putaverunt. Wagnerus cui maxime assentior de hac re aliter judicat. „Potest enim, inquit, nihil aliud esse voluisse, quam calamitosis bellorum civilium temporibus successura nunc esse tempora laetiora, quae εὐφαντασιώδεις poeta per aetates mythicas declarat.“ — (boni autem poetae ars maxime spectatur in carmine apte claudendo et cum omnia in toto carmine ad puerum istum retulerit Vergilius extrema pars non debet a summa argumenti aberrare. „Cui non risere parentes“ . . . Ergo tibi arrideant. Nae ita iratae non fuerunt Musae Vergilio ut talia cum balbutire passae sint. Age ipse pro se loquatur poeta „Incipe, parve puer . . . incipe . . . digna est enim (mater) quam risu tu exhilares quippe cui decem menses longa tulerunt fastidia“.) —

Jam reliquum est, ut de ecloga sexta loquamur. Jucundissimis et suavissimis rerum imaginibus omnis haec narratio distincta est, qua Silenus ex antiquissimorum poetarum et philosophorum rationibus originem rerum canit atque inde per fabulas ad ornatum poeticum maxime admittentes vagatur. Neque enim quare cum iis grammaticis, qui Syronem huc vocant ad Epicuri potissimum placita verss. 31. seqq. referam, video. Quid de hac re judicandum sit Servius ad Vergilii ecl. VI. 13. nos docet. „Sane, inquit, hoc de Sileno non dicitur fictum a Vergilio, sed a Theopompo translatum etc.“ Alias disertius exponit fabulas, aliarum non nisi argumenta commemorat et delectationi adeo studet Maro, ut inter antiquas illas fabulas Galli sui meminerit. Sed nonnullorum versuum argumentum ex aliis quoque Graecis sumptum esse facile apparebit, cf. vs. 31. sq. c. Apollon. Rhod. Argon. I. 148; vs. 39. seq. c. Apoll. Rhod. Arg. I. 496. etc.

De eclogarum argumentis disputantes non omnes eos locos protulimus, quos Maronem ex Theocrito aliisque poetis vel Graecis vel Latinis sumpsisse constat. Quos locos optime contulit O. Ribbeck. vid. hujus editionem Virg.

conf. etiam Ursini aliorumque editt. — Jam transeamus ad alteram partem.

Tractaturi sumus primum de nominibus, deinde de verbis simulque de structuris, tum de carmine amoebaeo, denique de re metrica.

Apud Probum (l. l.) haec legimus: „bucolica Theocritus facilius videtur fecisse, quoniam Graecus sermo sic videtur divisus ut Dorica dialectus, qua ille scripsit, rustica habeatur. Opportunum fuit ergo ei, qui pastores inferebat, ea lingua disputasse. Vergilio tanto factum opus majus quanto una lingua loquens sensus rusticos spectare elaboravit sine reprehensione sermonis.“ Quod de dialecti doricae indole judicium quam verum sit alii docti viri demonstraverunt. Vergilium quoque ad rusticanum sermonem descendere conatum esse inter omnes fere constat. Namque uno aliove loco antiquas formas (v. cujum ecl. III. 1.) — „quod nec vertat bene“ (ecl. IX. 6.) immiscere non dubitavit, quominus haec saepius conaretur sine dubio et eorum quibus scripsit judicio, et adversariorum Baviorum et Maeviorum castigatione impeditus est; alia autem reperimus apud Theocritum quae poeta Romanus imitari non poterat.

Non licuit poetae Romano eam linguae Graecae virtutem aemulari quae posita est in nominativo nominis cum articulo ibi adhibito, ubi alter alterum alloquitur (cf. Prob. l. l.). Proxime ad Graecorum usum tales loci accedunt qualis ecl. VII. 46, ubi tertia verbi persona in enuntiato relativo posita, simile quiddam efficere vult (cf. edit. Ladewig. ad h. l.) nec *ὀνομα το ποίητα* quae vocantur tam crebra in Latina quam in Graeca lingua reperiuntur. Quocirca videmus Maronem ubi haec obviam apud auctorem fuerunt, aut versuum numeris litterarumque sono (cf. id. V. 7. c. ecl. III. 27; id. VII. 48. c. ecl. IX. 36; id. II. 23. c. ecl. VIII. 20.) aut alia sententiarum conformatione (cf. id. V. 89. c. ecl. III. 64, 73. vid. Gebauer l. l.) cum eo certare studuisse. Appellationum quibus uterque poeta amores significavit dulcissima leguntur apud Theocritum:

ἐρωτύλος (id. III. 7.), *λίπος* (III. 21.), *τερπνόν* (II. 158.), *ἔρωτις* (IV. 59.); reperiuntur in eclogis cura (I. 58.), ignis (III. 66.), furor (X. 38.), Venus (III. 68. cf. Prob. l. l.) —

Adjectiva si spectamus Maro in totius sententiae colorisve imitatione adjectiva Theocritea variavit ita, ut ab auctoris sui exemplo partim paululum tantummodo declinaverit, partim longius recesserit. Sed quamvis valde amaret epithetorum ornatum, interdum tamen, quae apud Theocritum legerat, ipse sive metro coactus, sive arte rhetorica ductus, omisit. Quam caute et prudenter in hac quaestione versari debeamus ex hoc quoque cognosci poterit, quod non pauca a Vergilio dicta sunt, quibus quae Graeca compares, neque apud ipsum Theocritum reperiuntur, neque apud reliquos bucolicos Graecos. Tractavit hunc locum Gebauerus in quaestione: „Quatenus Vergilius in epithetis imitatus sit Theocritum,“ cui quaestioni nihil additurі sumus.

Pauca jam de pronominibus adjungamus. Pronominis usum ad amicum animum testificandum Vergilius non raro admisit (vid. ecl. I. 75; II. 54; V. 51; VII. 22, 40, 49; X. 2.) quamvis bis tantum apud Siculum (vid. id. V. 1, 117.) reperiatur. Notabilis est creber, ut evitetur pronomen *is*, usus pronominis ille. Locos in quibus hoc pronomen vocabulo *τῆνος* convertit, enumerare conabor: ecl. II. 13. vid. id. I. 70, 71; ecl. V. 49. v. id. I. 4; ecl. VIII. 8. v. id. VIII. 63; ecl. VIII. 93. v. id. II. 41. etc. Ille pro *νιν* in ecl. VIII. 43. cf. id. III. 19. Quibus de nominibus dictis ad verba et structuras nos vertamus. Praeterituri non sumus illam significationem et structuram verbi suadendi (in ecl. I. 55.) quo verbo convertit Maro Graecum *πείθειν* cf. id. VII. 152; ecl. III. 23. et id. XV. 91.). Auctoris exemplo, apud quem saepissime ad animum alterius ad sequentia advertendum leguntur: *ἠνίδε· θᾶσαι· ἴδε· ὁρῆτε· ὅρη·* ipse quoque aut *ecce* aut *en* aut ***aspice*** eadem de causa posuit. De praepositionis ab (agnus ab ovilibus nostris ecl. I. 8.) usu conf. id. I. 134. — Conjunctio „et“ eodem modo ecl. III. 62. antistrophae adhibita est atque factum videmus apud

Theocritum in id. I. 96; nec descivit poeta a Theocriteo loquendi genere quum in ecl. I. v. 27. interrogationem a particula et inciperet cf. id. IV. vs. 7; V. vss. 25, 39; particulam „que" explicationis gratia legimus ubi Siculus δέ adhibuit cf. ecl. III. vs. 34. c. id. VIII. vs. 16. —

Afferamus nominum et verborum repetitiones (vid. H. Fritzsche: „zu Theocrit und Virgil"); primum eas quae inveniuntur post caesuram bucolicam. Deprompta est iteratio ecl. VIII. ex id. I.; ecl. X. vs. 11. ex id. I. v. 65; ecl. V. vs. 46. ex id. VIII. v. 79; ecl. IX. vs. 17. ex Mosch. id. III. vs. 11; cf. ecl. II. vss. 14, 15; X. 20, 21. c. Theocr. id. I. 1, 2, 77; VIII. 7, 9. — Alia repetitio legitur apud Theocritum in parte versus posteriore vid. idd. I. vss. 64, 79, 118; II. vss. 43, 97; IV. vs. 43; V. vs. 60; VI. vs. 5; VII. vs. 73; VIII. vss. 11, 12, 14, 19, 25, 53; IX. vs. 14; XI. vs. 60; XV. vss. 82, 90, 123, 146; XVI. vs. 13; incert. II. vs. 36; XIX. vs. 9. Bion. I. vss. 29, 36, 39; inc. I. vs. 17. Apud Vergilium adhibetur haec repetitio in eclogis I. vs. 33; II. vss. 16, 20, 68; III. vss. 2, 6, 30, 59, 60, 62; IV. vss. 3, 34, 40; V. vss. 35, 42, 44, 52; VII. vs. 53.; VIII. vss. 61, 63; X. vss. 3, 23, 69.

Simillimi sunt inter se ii versus in quibus post *καὶ*, lat. et, atque, que, vox iterata est: conf. idd. I. vs. 64; II. vs. 43; V. vs. 60; VII. vs. 74; XI. vs. 60; XV. 82; incert. II. vs. 36; XIX. vs. 9. cum ecl. IV. vs. 34; V. vss. 35, 42; X. vs. 23. (vid. Gebauer: de poet. graec. etc. — Fritzsche l. l.). Singularis quaedam repetitio est si idem vocabulum e chiasmo quodam in principio et in fine versus ponitur, quam a Theocrit. id. I. vs. 76. acceptam usurpavit Maro in ecl. X. vs. 39. et VII. vs. 4; item si vocabulum aliquod bis in priore semel in posteriore versus parte legitur; cujus generis sunt: idd. I. vs. 103; II. vs. 81; III. vs. 41; VII. vs. 76; XV. vs. 123. et ecl. VIII. vss. 41, 44; denique si una vox sine intercapedine iteratur *ἀναδιπλώσει*. Versus initio id factum est a poeta Graeco in nomine proprio in id. I. vs. 123: *ὦ Πὰν Πάν* . .; id.

XI. v. 72: *ὦ Κύκλωψ Κύκλωψ, πᾷ* . . . A Romano in ecl. II. vs. 69: „ah Corydon Corydon quae te . .“ In vocabulo *φεῦ* (vid. id. IV. vs. 26: *φεῦ φεῦ βασεῦνται καὶ ταὶ βόες*; id. V. vs. 86: *φεῦ φεῦ Λάκων* . . .) unde heu in ecl. II. 58; III. 100; in *ναί* (id. IV. 54: *ναὶ ναί, τοῖς ὀνύχεσσιν ἔχω τί νιν*).

Ante caesuram bucolicam in id. VI. vs. 8:

Καὶ τύνιν οὐ ποθόρησθα τάλαν τάλαν, ἀλλὰ κάθησαι

it. in id. VIII. 76. et ex imitatione in ecl. V. vs. 64:

„ipsa sonant arbusta: deus, deus ille Menalca.“

it. ecl. VI. vs. 44; III. vs. 79.

Repetitiones quae non unius versus finibus continentur legimus in id. I. 116, 117:

Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων,
Δάφνις ὁ τὼς ταύρως καὶ . . .

it. idd. I. vss. 129, 131; VII. vss. 117, 118; XII. vss. 1, 2; XIX. vss. 3, 4; I. vss. 28, 29, 95, 96, 131, 132; VII. vss. 57, 59; XIII. vss. 40, 41; XIX. vss. 7, 8; cum his verss. conf. ecl. IV. 24, 25:

Occidet et serpens et fallax herba veneni
Occidet . . .

it. ecl. IV. vss. 60, 62; ecl. V. vss. 10, 12; ecl. I. vss. 28, 30; ecl. VIII. vss. 50, 56; ecl. IX. vss. 27, 28; V. vss. 65, 66.

Singularis est etiam ea repetitio si altera pars prioris versus in posteriorem adscribitur vid. id. IX. vss. 1, 2:

Βουκολιάζεο Δάφνι, τὺ δ' ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος,
ᾠδᾶς ἄρχεο Δάφνι . . .

it. in ecl. V. vss. 51, 52:

. . . dicemus Daphnimque tuum tollemus ad astra,
Daphnin ad astra feremus . . .

cf. ecl. IX. vss. 64, 65. conf. quoque id. I. vss. 70, 71, 73, 74; II. vss. 33, 34; XVIII. vss. 10, 11. et ecl. X. vss. 13, 14. — Suavem nominis proprii iterationem in id. III. vss. 3, 4:

Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας,
καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε Τίτυρε . . .

Vergilius imitatus est in ecl. IX. vss. 23, 24:

Tityre dum redeo — brevis est via — pasce capellas,
Et potum pastas age, Tityre, . . .

Nonnunquam et in principio et in fine aut cantilenae aut versuum eadem vocabula reperiuntur vid. idd. X. vss. 26. . . . 36:

26. *Βομβύκα χαρίεσσα* . . .
36. *Βομβύκα χαρίεσσα* . . .

it. id. VII. vss. 52, 61, 82, 88; II. vss. 3, 10; VII. vss. 147, 153. Unde fluunt quae similia legis in ecl. IX. vss. 39, 43:

„Huc ades, o Galatea; . . .
„Huc ades; —

it. ecl. IX. vss. 46, 50; VIII. vss. 1, 5, 85, 89. cf. ecl. I. 47, 52. —

Quibus repetitionibus cognata est versuum concinnitas. Saepe singulos versus sententia ipsa in duas partes aequales discerni videmus. cf. id. IV. vs. 55:

„*Ὀσσίχον ἐστὶ τὸ τύμμα καὶ ἁλίκον ἄνδρα δαμάζει.*“

cum ecl. II. 18:

„Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.“

confer quoque id VI. vs. 45; XII vs. 13; XV. vs. 143; XVI. vss. 19, 20; Mosch. I. vs. 12. . . cum ecl. II. vs. 53; III. vs. 58; IV. vs. 57; X. vs. 8. —

Apud utrumque poetam non raro per plurium versuum complexionem ea invenitur orationis symmetria, qua sententiis et verbis aptissime inter se respondent. cf. id. V. vss. 80—135; VI. vss. 6—20, 21—40. cum ecl. III. vss. 60—707; VII. vss. 21—68. etc. (vid. Gebauer l. l.) Quibus modo dictis cognata sunt si aut alter colloquentium alterius verba repetit, aut idem praecedenti versui sequentem accommodat. vid. id. VIII. vss. 11, 12:

„*χρῄσδεις ὦν ἐσιδεῖν; χρῄσδεις καταθεῖναι ἄεθλον;*
χρῄσδω τοῦτ᾽ ἐσιδεῖν, χρῄσδω καταθεῖναι ἄεθλον.“

— ecl. III. vss. 43. et 47.

it. id. VIII. vss. 18, 21; IX. vs. 22. . . . — et ecl. IV. 58, 59; VIII. 48, 49. Hom. Il. $υ$ 371; it. $χ$ 126; $ψ$ 461. cf. ecl. V. vss. 51, 52; IX. vs. 64. sq. —

Apostrophes usum a Theocrito sumpsisse Vergilium jam Ursinus ostendit conf. id. VI. vss. 47. seqq. c. ecl. VI.; sed amplificatam esse Theocriteam, ut nova conversione Pasiphaen ipsam exclamantem induceret, facile apparet. Alliterationem vero e Siculo sumptam esse non crediderim; namque quis est qui nesciat eam omnibus linguis esse communem? Quam invenies in eclog. III. vss. 109, 110; ecl. VII. 5:

„et cantare pares et respondere parati.“

ecl. VIII. 80. — Dicendum nobis nunc est de carmine amoebaeo.

In carmine amoebaeo contendunt duo canentes, ita quidem, ut interdum exasperentur animi. Sic in idylliis secundo et quarto introduxit poeta in priore statim ab initio altercantes rusticis et gravioribus dicteriis, in altero posuit alterum facete et amare carpentem; interdum autem versibus alternis ita inter sese certant, ut alter canentium praeeat canendo, alter respondeat sententiis ac verbis similibus; cujus generis sunt id. V. vss. 80—135. et VIII. vss. 30—60; ecl. III. vss. 60—107; VII. vss. 21—68.

Carminis amoebaei leges derivari possunt ex idyllii quinti verss. 82—135, quibus in versibus et eundem canendi ordinem quemadmodum ab initio institutus erat usque ad finem servatum et ab utroque pastore pari versuum numero esse certatum elucet. Tum certantium versus semper sententiarum, saepe etiam verborum similitudine inter se cohaerent: denique uterque pastor eam ingenii indolem morumque constantiam quam tribuit utrique poeta ab initio servat. Per totum idyllii quinti cantum pastores eam retinent vitae conditionem qualem in carminis introitu depingit poeta. Sententiam contrariam munerum varietas probare non poterit. Sed quid de diversis amorum nominibus (Clearista — Alcippe — Cratidas — Eumedes) judicabis? Lacon qui semper puerum commemorat puellae mentionem facit in

vs. 127. At articulus nonne potest collective intelligi, ut omnes puellas aquae hauriendae causa ad fontem venientes significet? Sed praeterea nonne Comatas alius puellae, alius pueri Laco mentionem injicit (vid. vs. 132.)? Quamvis quidem Comatas (vs. 132.) aliam puellam commemoret, tantum tamen abest ut illam se in deliciis habere profiteatur, ut eam a se non amari aperte confiteatur. Quae cum ita sint Comatam suis moribus constare negari non potest; neque aliam vitae conditionem alter pastor Laco simulat: namque quem Theocritus (in id. V. vs. 90.) πατρονυμικῶς Cratidam vocat, in vs. 134. vero nomine Eumedem appellat. Quam nominum varietatem ex ipsa vitae consuetudine a poeta expressam esse facile credere possis (cf. id. X. 26, 36.). Secundum carmen ipsum aut secundum verba arbiter victoriam decernit. Qui alterum ad canendum provocat, prior canit cf. id. VI. vs. 5.

His de carmine apud Theocritum amoebaeo disputatis, jam Vergilii carmina perlustremus. Cujus in cantibus amoebaeis lex supra primo loco posita accurate est observata; secunda vero lege ita usus est, ut saepius, quam Siculus, oppositionis vinculo certantium cantilenas conjungeret. vid. ecl. III. vss. 72, 75, 80—83, 88—91; ecl. VII. 37—60. Sed laesit hanc legem in eclog. III. vss. 60—63; VII. vss. 45—52. ea de causa quod in ecl. III. vs. 60. sq. initium Phaenom. Arati expressit, quare fieri non potuit quin versus 62, 63. ex id. V. vss. 82, 83. adumbrati minus congruerent, et quod ecl. VII. vss. 45. sq. ex duobus idd. (VIII. vs. 36. sq.; IX. vs. 15. — cf. quoque id. XI. 48. sq.) compositi sunt, non miraberis, quod h. l. concinnitas minus quam quae aliis locis reperitur, servata sit. Tertiam denique legem a poeta Romano non esse observatam viri docti docuerunt: namque Menalcam in ecl. III. capras et oves pascere. Caprarium quidem cum in versibus 32. seq. fingi videmus; sed versus 94. sq. et 98. sq. ad cantum amoebaeum pertinent, in quo pastores aliorum personas inducere possunt: praeterea vero verss. 92. sq. et 96. sq. ficti

argumenti sunt. Itaque poetam in hac ecloga legem a Theocrito observatam magis quam in septima spectasse apparet.

Phyllis puella est a poeta ipso amata: in amoribus omnia in hoc carmine conspirare videntur: namque Menalcas semper Amyntam commemorat, Galateam Damoetas: ille Deliae leviter tantummodo mentionem facit; hic non amat Amaryllidem, sed castigat. Confer haec cum iis quae de Theocriti idyllio quinto exposita sunt et cognosces Maronem auctoris exemplum esse secutum. In ecloga septima Vergilius ab auctore in eo descivit, quod Corydon (vs. 29.) aliud nomen assumpsit et Thyrsis (vs. 41.) pronomine „tibi" eandem puellam compellat, quam in stropha, quae praecedit, Corydon allocutus erat. Qua de libertate quid judicandum est? Poterat poeta aut popularium interdum magis quam Theocritea carmina spectare, aut cum sua ipsius persona illata omnem fidem ac veritatem huic cantui detractam esse intelligeret, eam artem qua Theocritea carmina composita sunt negligere.

Quod certamen unde exortum esset in versibus antecedentibus Vergilius accurate describere noluit; ut Thyrsidis strophae arrogantiae et rusticitatis plenae essent Corydonis vero simplicitate et modestia excellerent operam navavit. In ecloga tertia pastores ab arbitro pares pronuntiare voluit. Denique de re metrica nonnulla explicemus.

Vergilius, inquit Hauptius, Theocriti metrum imitatus non est. Quod quomodo intelligendum sit infra videbis. Poetam Romanum numeris apte eligendis egregiam dedisse operam et in hac re prospero cum successu auctorem aemulatum esse notissimum est. conf.:

Τῆν ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.

Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.

(id. I. 8. ecl. V. 47.)

it. cf. id. V. vs. 6. c. ecl. III. 26; id. V. 88, 89. c. ecl. III. 64, 65; id. III. v. 2, 3, 4. c. ecl. IX. 23, 24, 25; id. VII. 47, 48. c. ecl. IX. 35, 36. Quibus dictis ad eam rem.

quam accuratius tractaturi sumus, ad caesuram bucolicam transeamus.

Quae Valckenarius (in epist. ad Roever.) de versu bucolico disputavit, haec sunt: „versum dactylicum dici debere bucolicum si duobus pedibus postremis recisis remaneret tetrameter, qui clauderetur dactylo terminante partem orationis, atque adeo Alcmanicus refert haec Terentiani Mauri verba:

> Pastorale volet cum quis componere carmen,
> tetrametrum absolvat cui portio demitur ima,
> quae solido a verbo poterit connectere versum:
> bucolicon siquidem talem voluere vocari . . .

conf. quoque Donatum, Servium aliosque grammaticos. — Sed quamvis multi grammatici quartum pedem etiam spondeum esse posse contendant, tamen Vergilii magis quam Theocriti carmina eos spectasse persuasum habeo. Namque ex his paucis vere bucol. verss. locis ubi spondeus in quarta sede invenitur, promiscue et dactylum et spondeum poni, concludi vix poterat: illi tantummodo Maronis rationem habuerunt. Saepissime autem in pede quarto spondeum orationis partem terminantem adhibet; dactylum hoc loco neglexit operis difficultate victus, ut Donatus exponit, quae quidem negaverim. Poeta Siculus viva carmina ante oculos habuit et in iis caesuram bucolicam invenit; poetae vero Romano tale incitamentum defuit; magna ex parte rei insolentia a caesura imitanda prohibitus est. — Jam Homerum quoque, qui interdum carmina popularia adumbrat caesura bucolica usum esse inter omnes constat. Sumpsit autem Maro caesuram ab auctoribus suis in versibus CLIII; praeterea versus bucolici apud eum leguntur XCI; itaque habemus bucolicos in eclogis versus CCXXXIV (vide Gebauer: de poet. Graec. . . qui omnes versus bucolicos enumerat). Et habet quidem

ecloga prima	de versibus	LXXXIII	bucolicos	XVIII;
„ secunda	„	„	LXXIII	„	XX
„ tertia	„	„	CXI	„	XXXVII;

ecloga	quarta	de versibus	LXIII	bucolicos	VIII;
„	quinta	„ „	XC	„	XXI;
„	sexta	„ „	LXXXVI	„	XVI;
„	septima	„ „	LXX	„	XXVII;
„	octava	„ „	CVIII	„	XLIV;
„	nona	„ „	LXVII	„	XXVIII;
„	decima	„ „	LXXVII	„	XV.

Jam si stropharum rationem quam legimus apud utrumque poetam spectamus cantilenas amoebaeas et breviores et interdum etiam longiores esse pari stropharum longitudine compositas facile concedes. Inter breviorum numerum versus alterni id. V. et VIII. vs. 33. seqq. ac Vergilii ecl. III. et VII. habendi sunt, longiorum huc pertinent strophae id. XI. vss. 24—37, 42—55; VIII. vss. 66 . . 75 . .; IX. vss. 7—13, 15—21, quae Maro spectavit in eclogis quinta et nona: illic enim Mopsi et Menalcae carmina quae leguntur a versu XX. ad XLV. usque et a versu LVI. ad LXXXI. usque pari longitudine composuit; hic carminum verss. 23—35. versib. 27—29. et 39—43. versib. 56—60. ita respondent, ut numero versuum primum alteri, quarto tertium, argumento autem primum tertio, quarto secundum par sit: namque primum et tertium a Theocrito transtulit, secundi et quarti sententiam ad describendas vel suas vel populi Romani res ipse invenit.

Versum intercalarem Vergilius in una tantum ecloga, octava, adhibuit; qua in re auctoris exemplum secutum eum esse inter omnes fere constat. Valde errat vir doctissimus Ahrens, qui in Theocriti idylliis primo et secundo versum intercalarem ultimo cuique stropharum versui adjectum, non primum praemissum esse docet. Postquam igitur pastor cantilenam cecinit, Musas sic precatur:

Ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.

Apud poetam Romanum concinnitas et praeter parem versuum numerum universarum cantilenarum aequabilis quaedam partium descriptio invenitur in eclog. V. vss. 45—55, 81—90. — cf. ecl. IV.

Nonnulla etiam de hiatu adjungam. Non solum apud Theocritum verum etiam apud reliquos Graecos hiatum reperiri omnibus notum est. Itaque Maronem a Theocrito eum repetisse dicere non poteris. Wagnerus in „Quaestione XI.“ omnibus hiatus locis enumeratis poetam ait in eclogis saepius admisisse hiatum quam in reliquis operibus, quod non miraberis si Vergilium fere juvenem eclogas condidisse et postea Georgicis et Aeneidi conscribendis multo majorem operam dedisse memineris. Sed ex Theocriti imitatione ejusmodi hiatus explicabimus quos illius versus in latinum convertens coactus erat immittere. conf. ecl. VIII. 44:

„aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes.“

c. ἢ Ἄϑω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα.

id. VII. vs. 76.

item ecl. VIII. vs. 41. c. id. II. vs. 81. vid. etiam ecl. III. 6, 63; VII. vs. 53; X. vs. 13. — vid. Gebauer l. l. et H. Fritzsche „Zu Theocrit und Virgil“ p. 27. etc. — it. caesura *κατὰ τρίτον τροχαῖον* in ecl. II. vs. 53; in caesura bucolica ecl. III. vs. 79; VI. vs. 44; denique in geminata interjectione heu ecl. III. vs. 58; III. vs. 100. —

Admittitur hiatus a Vergilio in arsi secundi, tertii, quarti, quinti pedis praecipue in nominibus propriis, in thesi si longa syllaba corripitur — cf. ecl. III. vs. 79: „— valē, valĕ inquit Jolla“ — praecipue in nominibus propriis et interjectionibus; in brevi syllaba tantum, si fortius interpungas — ut in eclog. II. 53:

„addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo —“

cf. edit. Ladewig. Einleitung pag. VII.

Synizesin adhibet Maro in nominibus propriis in „*ee*, *ei*“ raro in *ea*. —

Tmesin invenies in praepositionibus „super, circum, praeter,“ admissam ita quidem ut praepositio conjunctione „que“ a nomine suo sejungatur. cf. Ladewig, Einleitung pag. VII.